

## **Forum Beneficiale, Sive Quæstiones & Responsa Canonica**

Materiam De Beneficiis Universam Ex Beneficialistarum tam antiquorum,  
quàm recentiorum placitis complectentia. Opus methodo novâ, & clarâ in  
tres digestum Partes ... accuratè, ac copiosè instructae

De Provisione Et Obtentione Beneficiarvm

**Leuren, Peter**

**Coloniæ Agrippinæ, 1704**

468. An confirmari possit, cuius electio facta per abusum sæcularis  
potestatis.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74485](#)

cors, si sit à maiore parte consentiente in scrutinio; ita etiam, ut secundum Bald. scrutinium tale dicitur factum unanimiter fictione juris; ac proprie- re talis electio, si aliunde quoque valida est, sit necessario confirmanda. Quin & de cetero, ubi in elec- tione servanda non est forma *c. quia propter*, sed is censetur electus, qui plura habet suffragia, potest eundem confirmare habens confirmare. *Paff. loc. cit. n. 130.* Etsi multò magis hæc dici possit electio in discordia. Imò secundum jus antiquum confirmari poterit electio, & unus ex electis, etiam si vocales, seu habentes jus suffragii, se in partes aequales divisissent. *Paff. cit. n. 128.* Et potest adhuc id fieri (ubi forma *c. quia propter*, non est servanda) dum suffragia in duas divisas sunt partes, præferendo tamen illum ex duobus, qui majoribus meritis & magis idoneus fuerit. *Azor. p. 2. l. 6. c. 26. q. 4.* juxta *r. si forte. d. 63.* Ubi verò unus electus, alter postularius, postulatio admittenda, si postulantum numerus numero eligentium fuerit major, alias con- firmanda electio. *Azor. loc. cit. q. 5.* juxta *c. scri- ptum. de elect. sed de his supra.*

*Questio 468. An confirmari possit, enijs electio facta per abusum secularis potestatis?*

**R** Espondeo negativè. *Donat. tom. 2. tr. 7. q. 11.* Laym. in cap. quisquis. de elect. n. 8. ubi cum communi: si is, qui per abusum laicæ potestatis electionem acceptavit, non præcedente dispensatione à Superiori, confirmationem accipiat, titulum non consequitur; quia electio, quæ non conficit, non confirmatur, ut Felin. in c. postulasi. de *rescript. n. 5.* Et is, qui à manu potestatis laicæ Ecclesiastica dignitatem recipit, inhabilis redditur, ut promoveri dein ad eandem aliamne nequeat si ne dispensatione, ut Laym. ibidem cum communi. Unde si eandem à Superiori Ecclesiastico obtine- re velit, explicare debet hanc inhabilitatem suam, & vitium intrusionis, si administrationi quoq; se ingesserat. *Laym. loc. cit. citans Felin. ubi ante. & Abb. in cit. c. quisquis. n. 2.*

*Questio 469. An electus invitatus confir- mari possit?*

**1.** **R** Espondeo: electio, electo invito, non po- test confirmari. *Paff. de elect. c. 33. n. 56.* citans Gl. in cap. innotuit. de elect. & Abb. ibid. n. 13. *Donat. tom. 2. tr. 6. q. 6. n. 1.* Tamb. de jure Abb. to. 1. d. 6. q. 2. n. 11. cum enim inter eligentes, qui repræsentant ipsam Ecclesiam, & electum contrahatur matrimonium spirituale, juxta c. inter Canonicos. de elect. requiritur consensus, non tantum eligen- tium, sed etiam electi, qui est futurus sponsus. *Tamb. Donat. II. cit.*

**2.** Potest nihilominus Religiosus electus com- pelli ad acceptandum officium. *Castell. de elect. c. 14. n. 12.* *Abb. in c. non est. de regular. n. 4.* *Tamb. loc. cit. n. 13.* *Paff. loc. cit.* *Donat. loc. cit. n. 2.* Tradit nihilominus *Donat. loc. cit. q. 15.* quod electus & confirmatus, qui tamen noluit Prælaturam & con- firmationem acceptare, in Dominicanorum Ordini non possit dein Prælatus & sponsus dici Eccle- sia, ad quam fuit electus, nisi largè & impropriè, cum desit ei unum de substantialibus requisitis, nempe consensus. Idque èd fortius; quia in illo Ordine, etiam unanimiter electus & confirmatus quomodounque, jus nullum ad illam Prælaturam acquirit, nisi consentiat liberè. *Unde confirmatio-*

*P. Leuren. Fori Benef. Tom. II.*

in illo Ordine nisi acceptetur, non afferit vacan- tiā, v. g. Prioratus, sed eadem vacantia adhuc perseverat; unde jus eligentium revertitur ad eli- gentes, qui sine fraude fuerunt, quod in se est, eli- gendo intra tempus capacem.

*Questio 470. An confirmari possit elec- tus, qui à confirmatore presumitur male re- recturus?*

**R** Espondeo: etiam unanimiter electus, qui à confirmatore prudenter presumitur male re- recturus, v. g. laxatus disciplinam religiosam, ed quod noverit, eum esse negligentem in observantia regulari, non potest sine peccato gravi confirmari. *Paff. loc. cit. n. 146.* ubi ait, hoc non esse proprium sui Ordinis, sed esse juris communis, imò naturalis & divini; citatque pro hoc *Peyr. in formul. lit. E. c. 18. n. 6. in fine.* Unde etiam concecum similibus confirmatoribus, seu Superioribus regularibus, ha- bentibus confirmare electiones suorum, ut confir- mant eas, si eis vixum fuerit expedire. *Clem. Ex vi. de verb. signif.* (in qua licet id statutum pro Mino- ribus, competere tamen omnibus Regularium Su- perioribus, probat *Paff. loc. cit. n. 148.* ex Barbos- tum quia ratio istius constitutionis est generalis; tum quia, quando Princeps uni Præsidii rescribit, omnibus rescriptis censetur, ut *Jason. in l. 1. ff. de constit.*) *Paff. cit. n. 148.* qui rectè tamen addit, clau- sulam illam: si videbitur: importare arbitrium bo- ni viri regulandum secundum leges & rectam rationem: adeoque non posse talem confirmatorem ex qualibet presumptione cassare electiones, sed presumptionem debere esse rationabilem & pro- portionatam gubernio Ecclesia visibilis; adeoque debere inuti rationi, quæ, si opus sit, possit ab Ec- clesia sciri & discuti. Vide de hoc plura supra, ubi num teneatur confirmator reddere rationem nega- ta se confirmationis, seu cassata electionis.

*Questio 471. An, & qualiter confirmari possit indignus?*

**1.** **R** Espondeo primò: electio indigni confirmari nequit, quia hoc est contra jus naturæ, & divi- num, & canonicum, quod inhabilis & indignus promoveatur ad ecclesiastica officia. *Paff. loc. cit. num. 117.* citans *Peyr. de subd. p. 1. q. 31. §. 11.* *Donat. p. 2. tr. 7. q. 7.* citans *Ledeim. p. 2. tr. 7. concl. 7. dif- ficult. 7.* Peccat proinde mortaliter talis confirmator, & tenetur ad omnia inde sécuta damna. *Barbos. juris Eccles. l. 1. c. 19. n. 253.* citans *Pet. Nav. de refut. tom. 1. l. 2. c. 2. n. 156.* *Joan. Valer. de different. inter utrumq. for. v. electio. difficult. l. n. 4.* Addit tamen *Paff. quod nihilominus in arbitrio Superioris multoties sit positum, ut consideratis, paucitate hominum, necessitate Ecclesie, conditionibus temporum, ut quis censeatur aliquando dignus, qui alias non esset dignus; ed quod, licet requisita de jure naturæ ac divino semper sint necessaria, nihi- lominus in arbitrio positum sit decernere, an omnibus penitus in casu particulari deficiant; quod magis verum dicit respectu eorum, quæ sunt necessaria ex jure positivo.*

**2.** **R** Espondeo secundò: potest tamen Superior habens facultatem dispensandi super jure positivo & pœnisi, irregularitatibus, inhabilitatibus jure po- sitivo impositis, indignum confirmare in hoc sen- su, quod confirmingando talis dispense cum tali,